

Orationes, sive
Introductiones... Kyriaci
Strozae,... in aliquot
Arist. de moribus libros,
olim Pisis habitae et
nunquam [...]

Strozzi, Ciriaco (1504-1565). Orationes, sive Introductiones... Kyriaci Strozae,... in aliquot Arist. de moribus libros, olim Pisis habitae et nunquam antehac editae. 1599.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :

*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.

*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer [ici pour accéder aux tarifs et à la licence](#)

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.

*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment possible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

april 2191.

(6)

ORATIONES,

SIVE INTRODVCTIONES
V. CL. AC SVMMI PERIPATETICI,

KYRIACI STROZÆ, patritij
Florentini, in aliquot Arist. de
Moribus libros, olim Pisis
habite, & nunquam ante-
hac edite,

In librum Tertium, de **TEMPERANTIA**,
& eius extremis.

In librum Quintū, de **IUSTITIA & IURE**,
In Octauum, de **AMICITIA**.

In Decimum, de **FELICITATE**, quæ sa-
pientia comparatur.

A D.

ARTVSIVM D'ESPINAY, DE

S. Luc, eximia ſpe, atque indole virtutis
Adolescentem, Abbatem Rhedonensem.



PARISIIS,

*Ex Typographia PHILIPPI à PRATO, via
Amigdalina, ad Veritatis insigne*

CIO. IO. XCIX.

CVM PRIVILEGIO.

3425

X

3130

B

Io. Boënnus,

D. D.

Io. Tornorupéo,
Collegæ suo,

Amorit

er
Amicitiae

C.

NOBILISSIMO, SIMVL ET GENEROSIS- SIMO ADOLESCENTI, ARTVSIO

ESPINATO, San-lucio, fortissimi illius Equitis, Fran-
cis. San-lucij, filio, & Rhedonum, in Armoricis, tum
amabilissimo Domino, tum pio maximè Archimādrite,

S. P. D.

Io. Ročnnus, Rotomagensis.

HESAVRARIORVM hoc
ipso Collegio, tui San-lucij pa-
tris, maximi & fortissimi E-
quitis, trito quondam vesti-
giis, generose Artusi, San-lu-
ci, interuisebam virum nobilem & clarum,
Zachariam Montium; cùm mihi, que est eius
facilitas, et cum amicis usus, copiam fecit qua-
tuor Auunculi sui, Kyriaci Strožæ, omnium,
post Aristotelem ipsum natum, quod prefiscinè
dixerim, & doctissimi & diligentissimi Peri-
patetici, Introductiones, in aliquot Ethicos hu-
ius ipsius summi Stagiritæ libros. Membrane
ac schidia erant tanti viri exarata manu, quas

Aj

incredibili cura et religione habebat in scriniis,
in arculis, in Larario, et penitiore Musao, gra-
tissimus ex Sorore Nepos. Nō enim diligentius
aulam seriam-ue olim suam obseruauit ille
Plauti Euclio, nec curiosius aurum custodit su-
um aureolus Picus, quam hactenus Strozze the-
saurum istum quadruplicem adseruauit Mō-
tius, quippe omni Persarum aut Indorum
gazza antiquiore ac meliorem. Ego verò tum
cœpi commonere, suadere, hortari, ne diu sius in
situ, in tenebris, & hominum ignoratione sine-
ret iacere, quod dudum in lucem edi, subque ho-
minum aspectum venire oportebat; neu inui-
deret & nobis & posteris, quod cùm ex usu om-
nibus foret, tum etiam Auctorem ipsum, tamet-
si iam satis illustrem & spectatum, magis tamē
magisque celebraret. Primò abnuere Mōtius, &
caussa nescio quid necesse; non inficiari quidem
certè, quin esset à Magno viro ista Commen-
tatio, at non ab ultima eius manu; simulque ac-
cidisse Strozze, quod doctissimis quibusque usu
uenit sape, ut antè moriātur, quam Lucubratio-
nes suas perpoluerint, & libros seu liberos re-
linquāt posthumos. Hanc dubitationem, & ve-
lut iniectum scrupulum ademere Montio non

pauci exquisita & singulari doctrina viri, qui,
degustato iam Stroza, spe animoque liguriebat
hac postrema eiusdem scitamēta atque bellaria.
Hos non obscurè tibi feram, San-luci inclyte, &
Musarum delicum, quandoquidem tam dili-
genter ac studiosè colis, quibus est cum nouem ip-
sis castissimis Sororibus honestissimum assiduis-
simumque commercium. Igitur Strozanae eru-
ditionis testes, conscij, admiratores, qui Mon-
tio, ne istas Auunculi reliquias auro contrà
emendas, diutiùs haberet domo clausas, sed
quamprimum lucem aspicere, atque in publicū
venire pateretur, consuaserunt, fuere, prater
ceteros, hic mihi honoris caussa nominandi, &
Iac. August. Thoüs, Christophori, sui & pa-
triæ patris filius, vir omni laude maior, omnis
doctrina thesaurus; & Ludouicus Seruinus,
suada, lepos, mel Senatus; & Fed. Morellus,
Gracia ocellus, qui nuper Nonum & Decimū
Politicum Strozæ, fecit Gallicum, breuiculisque
notis insigniuit.

QVA R E exit tandem, forasque datur hoc
veluti defossum Strozæ aurum; & diuulgatur,
post tanti viri fatum, anno quinto actrigesimo,
non mehercule sine Deo tutelari, hoc est triis sub
auspiciis & fide, Artusi, diuino animo ingenio-

que adolescens, quem aliquā multos iam annos
studiosè colit & obseruat Montius. Ego verò
popularistus, qui que satis recordor, quantum
sibi olim me deuinxerit pater tuus, Eques ille
fortis, vigilans, strenuus, & ad res gerendas
prompto celerique animo, San-lucius, non potui
non incitare quoque Montium ipsum, vestræ
tam deditum & pœnè addictum genti, uti hæc
ipsa Auunculi suit anquam Anathemata Sa-
cralio appenderet tuo. Verùm ille, quia menos-
set Epinaya, Sanluciae-ue domus apprimè gna-
rum ac scientē, qua Montū debuerūt esse partes,
eas Roënni, Pyladis sui, esse voluit; et pro nostra
animorum ac voluntatum coniunctione, facilè
iudicauit, non minorem inde ad se, qui suscit,
quād ad me, qui suadenti parui, dimanaturā
laudem. Quod equidem feci eò libentiū, quia
nihil vera laudis, solidæqué virtutis habere il-
lum existimem, qui se tangi non sentiat deside-
rio quodam vestri nominis predicandi. Incipiā
à tribus fratribus tuis: occurrit Timoleo, natu
maximus, verè mehercle tūcos ὄλεων, vel etiam
ὄθυμολέων. quod nominis suo ab auunculo Timo-
leone Coffeo, Brisaco, desumpsit. Ambo, ita me
deus amet, temporibus tam dispares, quād
animis pares atque mirabiles. Quid namque

superior Timoleo? Regnum Karoli IX. repli-
cetur. Magnus tum Brisacus pater, militum
Tribunus, sed patre, propè dicam, melior filius,
quem ferme inuestem, & vix egressum ex ephe-
bis, suorum fulmen bellorum vocitabat Rex in-
uictus. San-lucium verò Timoleonem nuper
in Regia HENRICI nostri, IIII. vix septu-
ennem admirabamur, non in praetextatorum
asseclarum numero et ordine, sed iis iam comi-
tatum virtutibus, quæ illum & Regi amabilem,
& Principibus viris admirabilem reddebat.
Nam, quid fieret in Regia, aut quis inibi gloria
atque honore floreret, si quis forte sciscitaretur,
non alius, aut certior ad eius aures rumor acci-
debat, quam de Timoleonis San-lucij verissimis
laudibus. Illum sua etatula sic harere in equo,
ut Hippomenos aquaret; sic saltare, ut Choreu-
tis laudem præriperet; sic gladiū distingere, ut
vel peritissimis Lanistis illuderet; sic denique
pingere, scribere, differere, ut in San-lucio ado-
lescētulo, omnium ingenuarum artium chorus
inesse putaretur. In hac fama viguit, viuo ac
vigente adhuc patre: hem quæ patri voluptas
extam bellis & exquisitis de filio acroamatis!
quam famam tuetur adhuc, mortuo etiā, Am-
biana nuper in obsidione, immortalitate digno

patre: id adeò, ut hodieque nondum *vesticeps*,
congredi Marte suo, atque in dimicationē ve-
nire non dubitaret cum barbato ac formidoloso
Aduersario, nisi Montispencerij Principis, iu-
bente id Rege, auctoritas interuenisset, strictós-
que gladios inhibuisset. O animi altitudinē Sā-
lucij, verè θυμόντος, quippe in quo clucet, pri-
mis eius etatis temporibus, duplex Leonis pre-
cellens virtus. Quò enim maiore altioréque a-
nimō est, hoc affabilior & comior est. *Vulpi-*
nantur qui teneriore animo sunt; & cuniculis
agunt, qui nihil apertè excelsé-ue spirant. Non
utique crudeliores aut vindictæ appetentiores,
quàm qui molli, fractoque sunt pectore. Contrà
satis Leo habet magnanimus corpora sternere
atque abiicere occurrentium; non sauit, non
contrucidat eius animi magnitudo. Quid verò
Karolus, quid *Franciscus*, fratres item tui, exi-
mie *Artusi*? Hic Melitensis eques, ad res ma-
ximas pro Religione, contra immanes, impor-
tunos, barbaros Ismaëlitas olim suscipiendas,
exspectatur. Atque ut in arboribus flos ipse an-
tè denuntiat qui et quot fructus futuri sint; sic
Francisci indoles præclara iubet nos, vel ex hoc
tempore, cōiicere, quam maturitas eius virtutis, et
quanta fruges erunt aliquando. Karolus autē

pauillò grandior, dux est iam constitutus centū
celerum ac volitantium Equorum; idemque
Peditibus praest durissima cōquisitione collectis,
in Salinatore portu patrio. Patriū dixi, quem
pater San-lucius, contra subdolum nonnullorū ^{Burgicoriū}
inceptum, sibi vindicauit, itaque Regi suo con- ^{& Iacopo-}
seruauit, ut nicius laboribus ac meritis frueren-
tur, parentique succederent filij, Themis ipsa
indignaretur. Pater, inquam, qui duplii tor-
que aureo insignis, qui gemina in Regis Consilia
admissus, qui centum dux Cataphractorum,
qui militum Tribunus, qui Armamentario
prefectus, qui Legatus, qui Prorex, non tantū
in salsis & Santonicis insulis, verum etiam ip-
sam in Picardia, Principibus, regali satu edi-
tis, ferè semper attributa, ita vixit, ut non modò,
quo vixit, seculum iustis ac debitibus eum lau-
dibus ornārit, sed & omnes anni consequentes
tanti viri memoriam sint excepturi. Sed quibus
praelijs non interfuit? in Contrasensi, Principem
Condéum desilire coēgit de equo; in Pictauien-
si suam fidem, in Armorico principatum, in
Arquensi regium animum, in Ivrensi forti-
tudinem, in Rupellanos auitam, sinceram, so-
lamque Religionem omnibus probauit. Absque
eo nondum fortasse recepta esset Lutetia, quam

infusca infestāq; gēs occupārat. Quid nāq; hu-
iusce rei cauſa fecerit, & quoties ſuo cum affini
et fratre ſororio Brisaco egerit, non nemo ſcīt.
Inde ad obſeffos ab Ibero Ambiano trāſit: Pōt
pauſlō, dū Regi, dum Frācia, dū primariæ Vrbi
reciperādæ ſeruit, lectū illi ſtruēre Parcæ, qui
ſolet honorificētissimus dici. ibi occiſione occiſus
docuit non abs re fictum ab Homero, duo Iouis
poſita Mortalibus dolia, alterum longioris
vita, ſed ingloriae; alterū breuioris, at honorata.

Quæ cum ita ſint, Artuſi San-luci, quid tu
ad patris, quid ad fratrum laudes, adiunges de
tuo? Nihilō es natus minore animo, aut ſpiri-
tu humiliore. Artus omnes ac neruos in eo con-
tendas oportet, ut quando dicatus es Deo, quan-
tum in patre fuit, quantum eſt, ad patris iurita-
tionem, in fratribus roboris, ad res maximas
pro Rege, pro patria, pro Regis patriaque amā-
tibus gerendas, tantūm aduigiles ad Dei Eccle-
ſiam, cōtra oppugnantium insolentiam, defen-
dendam. Huc te vocant, quæ incurruunt, tempo-
ra; per gemodō, ut facis, atque in id ſtudium, in
quo es, incumbe quotidie vehementius. Littera-
rum iſta ſunt ſpatia, in quibus decurris; cogita
quid tibi honori, quid tuis utilitati, quid Reip.
ſubſidio eſſe potest; non aliud profectō, quam ha-

Disciplina, quas auidè consecutaris, qua non modo te ornabunt, sed etiam fulcient actu ebuntur. dixi ornabunt; quis enim magnus, tametsi magno ortus loco, si litterarum, omniumque ingeniarum artium rudis expersus fuerit? Hæ in magnis sunt tanquam Phari, & lucentes illi Ignes, qui cateris hoc veluti vita salo iactari solitus, ad fulgent, opemque ferunt ac salutem. Maturè eas addiscito, dum licet: in ea es Academia, quæ statim faciet omnibus opinionem excellentis ingenij ac singularis tui. Ut olim qui Alexandriæ suum studium in Iuris ciuilis scientia collocasset, repente magnus audiebat Iurisperitus: sic Lutetia, qui teneros annos contriuit in litteris, non potest non haberi, esseque reuera litteratus. Caue susurriones, & illas hominum pestes, qui adolescentibus summo loco natis, non esse cur litteras attingant, obganniunt. Venenum hoc qui obbibit, tetris afficitur, quam si Ophiusæ herba ius hauserit, aut à Dipsade ictus fuerit. Finem facio cum Platone, qui hominū adolescentum, honoris veræque laudis cupidorum, hoc est tuis similiū, animis, deum putat instillasse tantum auri argenteique puri ac celestis, sub ipsum nascendi punctum, ut præclarissima quoque et addiscant libenter, & lutum illud voluptatum

*Spernant facile, in quo plerique omnes, maximè
quibus anima profane data sit, voluntantur.*

Vale, salve, Kal. Quintilib. CIC. 1C. XCIX.

E Thesaurario.



OMISSION, COMMISSION.

Fol.3. partes, non artes. fol.4. cohærent, vt. fol.5. pag. 2. controuersiæ & non controuerse. Ibidem ḡd' & non ḡd'. fol.6. peccant & peccar. fol.7. cohortandos restant & non restar. fol.11. propriùs, non proprius. fol.12. cædes diphthongo. fol.13. Satyrici, non Saryrici. fol.14. ludi non lut ibid. *vechi'zzæ*, & non *vechierra*. ibid. accersere. In vita Strozæ, post libris, expunge punc-
tum & adde post quos hodie. βιβλία, fine, subscripto. ψυχῆ cum, sub-
cripto.



ORATIO SIVE IN-

*T R O D V C T I O V . C L . A C
summi Peripatetici, Kiriaci Stroza, Patri-
tij Florent. in Arist. Ethicōn lib. iij. cap. - x.
de TEMPERANTIA, & eius extremis.*



V V M post Kal. Ian. expedita ter-
tij huius de Moribus parte illa, in
qua de electione agebatur, ad na-
turam & vim fortitudinis explican-
dam vocaret nos Arist. nōsque prē-
claræ illius præcepta virtutis cœpi-
semus exponere, exacti hinc fui-
mus, vti meministis vos, ab eis Iu-
uenibus, qui nimium iuueniliter exultantes Bacchanalia,
maturius quam par fuerat, euocarunt huc, ceu propositi sui
atque (vti Prodicus dicere Chius ille solebat, cum suos audi-
tores minus cerneret attentos) τὸν πειτίκον τε θραχυῶν, pa-
ctæ enim mercedis summa erat hæc, immemores. Hæc ni-
mirum causa illa, qua coacti fuimus tunc, medio in cursu
consistere, pulcherrimæque virtutis doctrinam interrum-
pere, quam quidem etsi rerum ordo postulat ut institutam
prosequamur nunc, præsens tamen tempestas modo non
vocem mittens, ad cognitionem frugalitatis & temperan-
tiæ studia nos videtur hortari. Tempestas enim hæc ea est,
quam maiores nostri diuinorum interpretes oraculorum
ac veræ pietatis, & religionis Antistites potissimum dele-
gêre ad labes partim natura partim voluntate cōcretas ex-
imendum, nostrisque ex animis radicitus euellendum, pa-

A

IN CAP. X. LIB. III. ETHIC. ARIST.

cémique cum superis conciliandū: cūmque viderent horum neutrum absque illius opera virtutis, cuius studio à ferarū immanitate disiūgimur, posse expediri, propter ea instituerunt ut castè & sobriè primo anni tempore semper viuere incipientes, à Deo Opt. Max. veniam ante-peccatorum primū imploraremus, inde verò gratiæ compotes Seruatoris filij patrocinio euaderemus. atq[ue] idcirco hanc quam dico victus rationem nobis in eundam tenendamque, primi hoc tempore sanxerunt, qua fœti animi nostri alacriores, & magis vegeti & expediti ad veniam petendam accederent, ad vota nuncupanda, ad preces fundendas, ad laudes Deorum celebrandas: namque è sacris voluminibus acceperant, & fortè etiam de Platone id ipsum hoc documentum certè præclarum audierant, ὅπις μιαρῆ δῶρα
ἢ τὸ αὐθεντικόν, τὸ περὶ θεού δῆμον πόλεων τόγε ὄρθος δέχεσθαι. μάτιον
διὰ πολὺς δῆμος πόλεως τὸν αἰσθητόν, τοῖς δὲ δούλοις εγχειρότατος ἀπαντοι. Comicus egregiè vertit & breuiter sic:

--Facilius pius Dius supplicans

Quām qui scelestū sūt insueniet veniam sibi.

Quæ sententia è perennibus Poetæ fontibus videtur emanasse. Namque in ξ ὁδυασ. facit bonum illum fidelēmque subulcum personato Vlyssi domino suo de Vlyssis metreditu paciscenti, ni antea sequentis mensis Kal. redeūtem herum cernat, proxima de rupe ut deiiciat se, facit inquam respondentem sic,

Πρόφεων δή κει ἐπειπε Δία Κρονίωνα λιπούλιν.

Prolixè sanè ad Iouem placandum adierim hospitali paricidio inquinatus, istoque tam graui scelere contaminatus. Quocirca nos cum diuini Philosophi autoritate fratri, tum etiam & multo vehementius sanctorum Patrum oraculis perculti & inflammati, institutam iam de fortitudine doctrinam tantisper supersedentes, ad frugalitatis & temperantiæ naturam, vires, & partes in hoc tempore potissimum declarandas aggredimur & præcepta expounda.

DE TEMP. ET EIVS EXTREMIS 2

Principio quod ad naturam ipsius cognoscendam pertinet, genus virtutis, cui generi ipsa hæc, cæteræque morum virtutes omnes pariter subjiciuntur, superiore libro fuit declaratum, atque additum & hoc virtutem motis, & si mediocritatis in diligendo sit consecratrix. i. in rebus ipsis consistat optandis, quæ ad finem præstitutum sunt accommodatæ haud minùs tamen in fine ipso perspiciendo, & ritè statuendo vim suam potestatemque ostendere. i. in arripiendo honesto illo quod vnum cum sit, ita in omnes vitæ partes funditur, ut singularum virtutum formas pariat ex se. Nam cum mens virtute prædicta animi oculus sit, honestum verò lumen illud quo oculus hic illustratur, si quis mortalis homo lumen hoc in agendo minùs prætulerit, is ceu lumine cassus in columnas demens incidet, in parietes offendet, præceps denique ruet. Vim ergo huiusc oculi illustrandi cum virtus moris generatim possideat, atque hæc, qua de agere instituimus, nunc omnium princeps ad hoc perficendum habeatur, quippe quæ vitia illa primum longè à nobis depellat, quibus qui prædicti homines sunt, feris bestiis, ut iam dixi, perhibentur affines, inde vero prudētiam conseruet, necessariò de hac in præsens videtur agendum modus que animaduertendus, quo modo in ea explicanda & præcipienda vtitur Arist. atque in extremo, id quod nobis integrum ipse reliquit, formæ & partes enumerandæ, ut integra & absoluta virtutis huius natura teneatur & certa præceptio. Quum igitur de genere toto superiore libro declarauerit, in præsens de hac speciatim acturus Arist. discrimin id venatur, quo ipsa à cæteris sui generis virtutibus differt: id autem positum reperit in materia quam tractat, & modo, quem ad materiam hanc adhibet subigendam & informandam: ea vero est voluptas, at non omnis: multæ enim sunt voluptates & variæ, immò tot quot actiones illæ numerantur, quibus singulis singulæ quæque comitantur, sicuti cōmodiore loco explicabitur; ecquæ nam tandem fuerit voluptas ea quā virtus hæc temperantiæ sibi moderandæ deli-

IN CAP. X. LIB. III. ET IHIC. ARIST.

git libidinēsq; frāgēdas? ea nimirū, quæ oritur à sensu. Quæ enim à ratiocinatione siue recta siue praua ortum ducunt, nullam hę efficiunt intemperantiam, aut saltem nec veram nec propriam. At num quæ omnibus sensibus percipiuntur? minimè; quæ enim olfactu, auditu ue percipiuntur & vi- su, hæ in vitio hoc non sunt. Necessariò igitur in his qui re- stāt duobus inerunt, gustatu videl. & tactu: nāque ambo- bus his sensibus æquo, liberiùs indulgentes, inferuientēs que intemperati euadimus, brutisque vt dicebamus animā- tibus prorsus affines. Et quoniam à nobis, itēmque ab Arist. de libidine mentio habetur, ecquidnam ipsa differat à vo- luptate necessariò nunc indagandum videtur. Id quod vt certius explicetur & verius, memorāda ea sunt quæ proxi- mo superiore libro, in quo virtutis natura in discriminē age- batuī, docebat Arist. tria, videl. in animis nostris reperi in quorum aliquo virtus necessariò incumbet. Potestates, Habitus, Perturbationes. Potestates sunt habilitates quæ- dam à natura nobis tributæ, quibus instructi hominum a- nimi alterutram in partem liberè propendent. Habitus est partis alterius, potestatis inquam, vsu confirmata possessio. Perturbationes autem non potestates, non habitus, quin propensiones ad obiectos, oblatosque fines consequēdos, declinatæ destinatæque motiones: finis autem harum om- nium, siue voluptas est, sine contrariis dolor. i. contrarij vitatio & fuga. Quum igitur motiones istæ à ratione desci- uerint, temeritatique adhæserint, libidines vocitantur. i. ef- frænes in voluptatem impetus, ita vt iure queamus afferere libidines vias quasdam esse & impetus à ratione recta ad voluptatem animos nostros temerè abducentes. Quæ tum si rationi pareant, nec honestatem deserant, rationis ipsius satellites & virtutum administræ necessariò nobis à natura tributæ censemur, & tunc honestæ cupiditates & laudabi- lia desideria iure nuncupantur: contra libidines, vti dicitur, & proiecti impetus, ad vitia procuranda contendentes & amplificanda. Cæterū nos cùm virtutem hanc suas in

artes & formas extremo loco tribuere promiserimus (id quod nostrum est proprium documentum) age promissū faciamus. Sed antē monendi estis vos, non eandem esse Temperantię huius Aristotelicę notionem h̄c, atque illius quam Plato posuit in Phædro, quamque in præceptis officiorum Cicero sequutus est, quin aliam quādam veriorem, & magis exquisitam distinctamque.

Quatuor ergo siue partes, siue formæ illæ sunt, in quas Temperantia omnis tribuitur, frugalitas seu in cibo capiendo moderatio; in vino hauriendo sobrietas; in venereis rebus agendis, castitas; vigilantia in sopore nimio vitando & depellendo. Quod autem naturalis hæc partitio sit & necessaria, hinc liquidò claret; namque in cibo capiendo, & vino hauriendo dupliciter homines peccantes videmus, tum nimietate copiæ; quod vitium est mancipiorum propriū & seruiliū hominum; tum luxu & delitiis, quod est mollium & delicatorum. Si quis ergo in cibo capiendo modum adhibeat, frugi perhibetur & moderatus; contrà edax, ingluviosus, heluo. Quanta autem sit vitij huiuscē fœditas quam ridiculè in Iro illo Ithacensi perlepidè notauit Poëta & comicè in rapsodia illa cui titulus quidē Σόδωσάς. Argumētum autem Vlyssis personati & ignoti aduersus Irum, laniſta Antinoo Procorum nobilissimo lucta & certatio,

Ἴλθε δὲ πίπιλος πανδύμος, δὲ καὶ ἀργού
πίλωχεύεσκε Ιθάκης, μετὰ δὲ ἐφρέπε γαστεῖ μαργυρού,
ἀζηχὴς φαγέμενος πίέμεν, τὸ δὲ οἶνον ἵστο
ὑδε βίη. Εἴδος δὲ μέγας μάλα λιώ ὁργάσθα.

Hac designatione certè lepidissima nō fœditatē modò sed vitij huiuscē etiam incōmoda omnia apertè & breuiter depicta agnoscimus, præsertim in corpore procero. homo. n. insignitè vorax & heluo, insignitè imbecillus inersque ipsa nobis ostenditur. De illis autem qui lautissimis palatis excelluere, atque exquisitissimis dapibus, & obſonijs operā dedere, sicuti Apicij, Vitellij, Veri, Heliogabali, & si qui præterea gulæ proceres habiti sunt, cùm opportunū fuerit me.

IN CAP. X. LIB. III. ETHIC. ARIST.
morabimus, atque ad propositum nostrum vitia eorum, ut
scilicet ea fugiatis, aptabimus. Porro Poëta idem ab ebrieta-
te nos idētidem deterret cùm in ea Rapsodia cui præfixum
est elementum Ζ, tum in ea cui φ: namque in Ζ hæc:

--- οἶνος γέρει αἴσθησις

πλεός δέ τε φέγγε πολύφρονά περ μάλ' αἴσθησις.

Καὶ γ' ἀπαλὸν γελάσαμε καὶ τ' ὄρχισας θεῖται,

Καὶ πέπος περέγένεται δῆρτ' ἀρρυτονίμενον.

Et in φ:

οἶνος σε πεύει μελιάδης, οὐτε χαλλάς

βλάπτει, οὐ μη χαϊδεύει μηδὲ αἴσθησις πίνει.

Inde, egregij oratoris instar, exemplis rem confirmat.

Seqūitur tertio vituperatio intemperantiae cuius quidem
materiam vna sibi Venus adseruit tractandam, & verò Dea
hæc licet omnium molliss. & tenerrima esse videtur, ni cius
illicebras castitatis præceptis homines depulerint longèque
amandauerint, præsertim iuuenes suos sectatores non nun-
quam proœchit propellitque, vt ex libidine in furorem eos
cogat transilire. Hoc probè intelligens Romanus Poëta at-
que adçò Physiologus, pesti huic nos conatur eripere.

Tandem ubi se erupit nervis coniecta Cupido.

Hæc immoderata Veneris merces, hæc præclara illius mit-
tissimæ Deæ munera, quæ Troianus Alexander, grauis au-
thor, nullo pacto censet repudianda: quippe qui de sensu
iudicans suo, suisque ponderibus rem hanc examinans nō
vereatur magnanimum fratrem mollitiam suam moderan-
tem, atque inertiam in bello gerendo & recordiam dete-
stantem hoc dicto remordere,

Ἐγαρέποβλητ' ἐπι θεῶντεικαδέα δῶρα.

Sed de Venere satis ad somnum veniamus, cuius non mo-
derandi solùm, verum etiam repellendi ratio facilis. Quip-
pe cùm ambo summi yates in id concordibus carminibus
cōueniant vt eum mortis germanum prædicent & consan-
guineum. Cui quidē aureæ sententiæ Plato in legibus nouæ
Ciuitati dandis egregiè subscribit & breuiter sic, χρήσεων δὲ

DE TEMP. ET EIVS EXTREMIS, 4

Ἐδεῖς δέ εἰς ἄξιος δέ μᾶλλον τῷ μὴ ζῶτος, ἀλλ' ὅτι τῷ ζῶντι μή τῷ φρονεῖ μᾶλλον δέ τοι καθέμενοι εἴτε γέροντες γέροντος τῷ τοπεῖς ὑγείας αὐτῷ μόνον φυλάττων γένοιμον. Εἰ δὲ διὸ πολὺ χαλάσσεις θόροι. Quicquidque somno, inquit, sopitus iacet, is nullo pretio dignus, non magis quam si nullus vivat; quem vero vita amor & prudenter in primis tagit, is quā plurimū temporis vigilie dat, id unum in somno capiendo seruans, ut recte & valetudini utiliter consular, idque adeo haud multū fuerit si in consuetudine venerit. Quū ergo quatuor hæ virtutes ita aptæ inter se mutuò sint, itaque cohærentia nullula earū sciungi ab aliis queat, iure & meritò sub genus Temperantiae omnes conueniunt, ab eaque ipsa omnes pariter comprehenduntur. Etsi enim materia quā tractat & in qua versantur non simplex est aut unius modi, modus tamen eiusdem tractandæ & subigendæ neque absimilis est, nec diuersus omnino. Porro autem honestū illud ad quod omnes pariter habent respectū, id est proprius: in eo enim totū consistit, eoque contendit ut nos à feritate abducatur, ad humanitatē adducatur. Qui igitur homines felicitatis cōpotes volūt euadere, (voluntautem omnes) virtutum omnium naturam & vires, mente & intelligentia debent comprehendere, comprehēsas autem re & effectu in lucē proferre, atque in Σωφρο- primis Temperantiam. Cuius vocabuli Græco in sermo- σωψη, ne ea est notatio, ut eam conseruatricē prudentiæ esse ostē- η σωψη- dat, & fortè etiam procreatricem. Etenim prudentiæ compotes nulli unquam homines possunt euadere, nisi abstinenter, sobriè, castè, vigilanter vitam ducere à teneris condiscant & assuefcant. Hæc nimirum eruditio illa est quam ab huiuscce artis auditoribus domo huc afferri in operis huius vestibulo præcipiebat Arist. vt autem eam ipsam primū quidem ritè capiamus, inde vero prolixè & libenter eandem exercere assuefcamus, agite ipsum vitæ magistrum Latinè (ni fallor) vitæ quasi iura dantem crastina die audiamus.



ORATIO SIVE IN. TRODVCTIO V. CL. AC summi Peripatetici; Kyriaci Stroze, Pa- tritij Florent. in Aristotelis Ethicón lib. V. de IUSTITIA & IURE.



OMMODIVS fecissent Iuris ordinandi,
& profitēdi magistri, Viri Nobiliss. si ve-
teres illos sapientes viros, atque omni di-
gnitatis & virtutis genere principes, qui
æterna legum monumēta nobis nostris-
que minoribus scripta reliquerunt, imi-
tantes eam iuris cognoscendi, legēsque interpretandi ra-
tionem iuuentuti erudiendæ proposuissent: quam ineun-
tes illi & tenentes, ante omnia suos animos & intimos mē-
tis recessus simplici veritate, ac sincera æquitate munirent;
inde verò ceu copiis necessarijs, & conuenienti viatico in-
structi, è portu soluentes ad artem omnium honorificētiss.
& maximè decoram, nec minus fructuosam adipiscendam,
atque administrandam, velis remisque contēderent, & me-
rito. Nam qui sibi hoc assumpsit in vita, vt quæ iusta sunt,
& recta hæc aliis interpretetur, & præscribat, quis quæso
huic ignoscat si qua in parte vitæ à religione officij declina-
uerit? Declinabit autem quisquis in quacumque arte edis-
cenda, exercendāue, ipsius fundamenta, & honestatem ne-
gligens, ad propria commoda, ad proptium quæstum, libi-
dinēmque explendam facultatem ipsius conuerterit, præ-
sertim in ipsa hac, qua de agendum nobis in præsentia est,
eoque procliviùs labetur, & turpiùs, quò ars hæc, cum æqui
& bo-

DE IUSTITIA ET IURE.

5

& boni sit, non sicuti aliæ multæ, artes dico & facultates & virtutes, vna in semet residens, sola mētis conscientia contēta est: Quin foras spectans, atque in medio æquitatis interuallo consistere stūdens, in que omni officio faciēdo pariter collimare ad alterius salutem & commoda, sua omnia munera ditigit, ac demum alterius eam, & non sui ipsius Mystes efficere laborat. Ex quo fit ut in ea ediscenda difficultates multæ se se offerant, plures in docenda, longè verò plures & grauiores in exercenda administrādāque. Nimirum constat n. quantus & quām vehemēs habendi amor mortales homines tangat vniuersos, atque adeò prehensos cōstrictosque teneat, ac sāpe eò plerōsque adducat, ut quæ commoda sunt, & salutaria, ad famāmque & decus pertinentia, ea omnia in se contrahant; quæ autem his contraria, hęc longè à se depellant, atque in alios potius parēt. Hinc tragicī Poëtarum clamores, hinc querelæ, ut illius:

Νήπιοι θν ἵστησαν οὐρανού πλέον ἡ μου πάρος.

Et alterius:

Πλάγια δ' οὐδεὶς τέρμα πεφασμένος ζῆται βροτοῖσιν.

Et nostri:

At qui diuitiis soli incubuere repertis,

Nec partem posuere suis, hęc maxima turba est.

Quod nīquis animū probē temperatū gerat, atque hac, quam profitemur, Philosophia instruētū, & armatum, hac inquam Philosophia, quę vna morbo huic medicinam facere potest, quæque legum ponēdarum viam modumque seruandarum etiam reperit, sāpe & grauiter errabit in hoc: ut quæ utilia sibi sunt, & opportuna, & quo vehementius ea expetat, sibique vni vindicet; quæ mala & incommoda, hęc & auersetur, & modis omnibus à se depellat; idēmque is diuinām diuini hominis in Iure definiendo & Iustitia sententiam verbotenus probabit, re autem & effectu eam, quę à Trafymacho allata, comprobabit. Nam quum is apud Platonem in libris de Repub. iniuriæ partes aduersus Socratē tuēdas suscepisset, ita ius iustitiāque definiit, nihil ut

B

IN V. ARIST. ETHIC. LIBRVM

esse aliud vellet, quām potentioris emolumētum; contrā Socrates, tenuis, inopis, humiliis, innocētis denique tutelam atque alleuamentum. Quanquam vērō harum sententiarum neutri sua fundaūta & auctoritates desint, Socrati- cāque illa de solidā honestate nitatur, Thrasymachēa tamē hēc, vt vītationē olim fuit, atque etiamnū est, erit que dum mortalium hominum genus habitabilem hunc terrarum orbem, atque alterū illum obtinebit, erit, inquam, magis vītata, & perūulgata: quippe quāe vītio illi incubet, atque insīstat, cuius radices, uti nūc dicebamus, animis nostris insītas à primo satu atque infixas gerimus, cādem hæc aētatis cursu tam altē defiguntur, fibrāsque tam densas & tenaces mittunt, vt nisi quis eas primo quoque tempore exciderit, funditūsque euulserit, sentibus ijs hominum animos obducant, qui fructus tērribilis, ac maximē mortiferos suo tēpore parient. Vītium hoc à Græcis dicitur πλεονεξία, à nostris improba rei faciendæ habendæque cupido. Vitiū hoc ad cetera multa, quāe generi nostro inuexit mala, immensa hæc quāe videtis glossarum, expositionum, repetitionum, consiliorum volumina peperit, vtique in ea sem per ferē, Loxie oraculorū instar, in āncipiū versarētur, efficit. Hoc iuris & legum studia, & discendi labores ita amplificauit, & auxit, vt ad eos exantlandos, exhauriēdōsque annosissimi illius Patriarchæ aetas, quam ad annum vīque millesimum prouectam perhibent, necessariō requiratur. Quid mirum igitur si reorum neutri quoīs in controuersiā genere patrocinia desint, nec argumenta, nec contorta illa, quāe dicuntrū ἀγρυπήματα? Quanquam reclamet tragicorum yatum Coryphēus, atque apertis verbis increpet hæc:

αὐδράδε γένει οἰδη εἴγω δίκαιον δίσι εἴξ αἴπαντος εῦ λέγει.
Salomoniq; subscribat diuinitus fundēti hoc, In multilo-
quio peccatū nō defore. Atque hæc aduersus Iuris & Iusti-
tię non professores quidem dicta sunt, sed peruersores.
Namque de Sophistarum, ne oratorum dixerim confiden-

tia, atque adeò impudentia quid agam in presens nihil est, quippe quæ in Gorgia ab eodem Socrate abundè fuit exagitata & refutata. Cæterū cum ex disputatione hachodier- na, exque nostris superioribus, quas à principio huius siue gymnasij, siue Musarū & A pollinis sacrarij, per Principem nostrum opt. instaurati, & aucti, frequentes habuimus, iam apertè constet, cum ad vitium hoc, de quo diximus, tum ad omnia cetera, que aut infelicitis ingenij, aut prauè institutio- nis, aut denique male subductæ rationis culpa, nostros infe- stant animos, & gréque eosdem afficiunt (sunt enim omnia, ut scitis, & si mutuò inter se contraria, eadem tamen inter se connexa & complicata) nullam posse aliam medicinam reperiri, nec adhiberi, extra eam, quæ è liquidis Academiæ fontib, aut ex aurois Lycei fluminibus (sancta sanctorū Pa- trum oracula eximia semper habeo) manauit præceptio: propterea nos libenter sanè fecimus, vt quod eius studium semper anteà celebraueramus excolueramusque, idem ante annos duos proximos nostris lectionibus renouaremus, multoque libentiùs facimus, vt Quintū hunc de Moribus qui sequebatur, quique Iustitiæ primordia pâdit, post qua- tuor illos superiores, abundè, ni fallor, & accurate exposi- tos, ad vos hoc tempore afferremus explicandumque pro- poneremus. Quapropter omissis ambagibus ad ea quæ in ipso continentur enumeranda, quoque modo ab Arist, tra- dantur tractenturque, explicanda accedamus, dicamusque Aristotlem in docendo de iustitia & iure, quod primū omnium in omni questione ponendum est, id pri- mum querere. Nam cum Iustitiæ notio simplex non sit, sed aneps, num in album æqui uocorum, quæ dicuntur, sit re- ferenda, an vniuocorum, hisce enim notis Logici artifi- ces vtuntur, an eorum potius quæ ad vnum referuntur, vel ab uno cœu principio prodeunt. Reperto autem quod in eorum ordine Iustitiæ virtus posita est, quæ ab uno principio cœu à fonte quodam profluūt, ambiguitatē, quæ in vocabulo latēbat, statim explicans, quādam esse ait Iu- stitiæ formam, quæ per omnes virtutum omnium gradus, pertinens & permeans, ad communitatē generis hu-

IN V. ARIST. ETHICORVM

mani seruandam continendamque contēdit: de hac solūm
hoc, inquit, memorare sat esto. Virtutes morum omnes, de
quibus hactenus docuimus, cùm ad omnium commoda
decūsque & salutem ciuiū referātur & Principis, in ordinē
Iustitię illius communis, & amplæ venire, ipsamque totam
ex se quasi cōflare & efficere, ex quo fit ut Iustitia hæc om-
nis legibus comprehēdatur, atque adeò leges ipsa comprē-
hendat: Leges enim ex virtutum omnium formulis ciues
vniuersos & singulos viuere iubent, quapropter nihil ad-
dendum amplius ad ea quę de virtutibus singulis fuere à
nobis superioribus libris explicata, cum ad nostram hanc,
quæ non quidem tota virtus, sed quædam virtutis pars, aut
honesti propago est, orationis cursum conuertamus, ea ve-
rò est huiusmodi. Quoniā in bonis alienis rapiēdis vīque
& fraude occupandis & retinendis, ad hæc in præmiis tum
petendis & accipiendis, tum alteri tribuēdis, multisque ir-
rogandis & pœnis infligendis, sēpe homines peccant, nec
minùs in pactis conuentis seruandis negligendis, in pro-
missis faciendis aut non faciendis, errare solent, regula &
præceptio horum omnium necessariò fuit reperienda, &
instituēda; hæc verò est Iustitia, tum distributiua, tum emē-
datrix, siue correctrix, hisce namque vocibus eam insignit
Aristoteles: Hac qui prædicti sunt, prædicti autē omnes ho-
mines esse debent, iusti & boni tum viri, tum mulieres &
appellantur & habentur. Regulam ergo & præceptionem
hanc nobis in hoc lib. tradit Arist. docētque quid Ius, quid
Iustitia, quid cōtrà iniuria, quid iniustitia, quænam actio
æqua, quę iniqua, num ius natura insitum nobis sit an magis
à causa extrinseca nobis adiiciatur concilieturque: quid
porrò illud sit quod αὐτοῦ θός Pythagoræ, nostri Talio-
nem appellauere: Præterea

--- quid asper

Vtile nummus habet, patri & charisque propinquis.

Quantum largiri deceat: & quæ sequuntur.

Dumque hæc docet, ex maiore quasi mensura amicitarum

DE IVSTITIA ET IURIS.

7

omnis generis fundamenta iacit, & meritò: nisi. n. Iustitia antecesserit, quę animos nostros ad semētem illam subigat, & opportunos reddat, nullę vñquam cōciliari Amicitię poterunt, nec cōciliatæ consistere. Addit præterea quid æquū & bonum sit, num scripto iuri repugnet, & legibus, an stabilius id ipsum reddat, & rectius; addit in extremo hoc, posse quis sibimet esse iniurius. Hæc ea sunt, quæ toto hoc libro proponit Arist. & demonstrat. At restat vt de amplitudine huius virtutis, & dignitate breuitér agamus, & comodis; ecquānam tandem virtus amplior inuenietur, quā Iustitia, aut splēdior, quippe quæ per omnes vitæ partes, vti dixi, pertinet, per omnes hominum gradus, per omnes ciuitatis ordines? Argumento vel in primis legum ferēdarum ratio esse potest, vt Platonis, verbi gratia, qui ab ipsa hac nostra, id est à speciali Iustitia legum initia sumens, nascēti ciuitati p̄imum præcipit hæc eademque frequenter inculcat & crebrò memorat; Ciues nostri vniuersi, & singuli suis quique negotiis, atque iniūctis muneribus animos perficiendis attentos adhibento, alienis & nihil ad se pertinentibus ne se admiscento, inuicem parento, & imperanto, artem vnam dntaxat quique exercecento, Magistratum vnum dntaxat gerunto, custodes belligerando in hostes seruiūto, ciuibus placidos se & placatos exhibento, Principes parentum more indulgenter subiectos accipiunt, Snbie&ti prōlixè eis obediūto, Sacerdotes & pontifices rem diuinam procuranto, Idiotæ & priuati, quę sacra à Pontificibus acceperint, excolūto, noua ipsi per se ē nulla suscipiunto, minores natu maiores reuerētor. Hæc atque his similia dum præcipiunt siue Plato, siue Solon, siue Augustus, ad humanitatem ordinandam, regendam, ornandam ex vberrimis profectò Iustitiæ huius specialis fontibus hauiunt, quippe cum tota ipsius vis, & facultas in eo consistat, vt cuique quod suum est conseruetur, etsi fraudatus, quoquomodo eo sit, eidem tribuatur, hisce in quam è fontibus illi hauiunt, simūlque ostendunt, quam latè ipsa pateat,

B iii

IN V. ARIST. ETHIC. LIB.

quæque eius amplitudo sit. Porrò autem dignitas ciu-
démque maiestas, tum ex hisce appareat, tum etiam ex aliis
multis. Sed nullo ex loco melius aut clarius cognosci po-
test, quam ex ea Demosthenis oratione, quæ habita est in
Aristogitonem. Illic enim sapientissimus Orator, antequā
ius iustitiamque definiret, virésque & prēmia legum cnu-
meraret, pulcherrimā quandam ex Orphicis carminibus
affert sententiā, dicitque priscos illos homines, qui proxi-
mè Deos imm. generē & vite probitate accedebant, Dicē,
id est ius, siue iustitiam multis, iuxta & Eunomiam, virgi-
nes castas, atque incorruptas, illibatasque fecisse ad Iouis
Thronum assidentes, indéque opera nostra omnia lustrā-
tes, vtique ea rectè iustéque peragātur assiduè curātes. Ex
quo facilè intelligitur quāta sit iustitiæ dignitas, quātus de-
cor, denique qualis & quanta maiestas; quippe cum inter
Deorum immortalium numina, eaque Iouē proximè ad-
sidentia referatur numereturque. Eodem loco, postquam
lex diuinitūs instituta, diuinitūs definita fuit, fructus & cō-
moda, quæ ex eius cultu percipiunt homines, à facundissi-
mo eodem Philosopho, Oratoreque sapientiss. enumerā-
tur, quæque ex eiusdē neglectu, &, vt sic dixerim, incultu,
in rem humanam detrimenta importentur. Cæterūm cum
oratio illa sanè illustris & præclara, sæpe olim cum in alma
Bononiensium studiorum luce, tum in hoc percelebri siue
Lycéo, siue Academia à nobis accuratèni fallor, fuerit exa-
gitata & explicata, nihil de re hac hodie dicimus amplius.
Si qua.n.ad vos, Viri nobiliss. cohortandos restant, (arbi-
tror autem restare non pauca) quæ ad legum scientiam vos
queant allicere, ab eis cēsco petatis, qui artem ipsam à Phi-
losophia hac nostra procreatam, itaque amplificatam & au-
ctam, vt parentem suam longè iam superet, ab eis censeo
petatis, inquam, qui eam profitentur, artem medius-fidius
omnium honorificentissimam & mxime fructuosam. sæ-
pe. n. eos inter legendum & differendum audietis, ingen-
tes nummorum aceruos aurorum, pallas auro intertexto

rigētes, ac modo non stantes memorare; aurea quinetiam
vasa & argentea, equos, prædia, supellecstilem, denique præ-
clara ornnis generis præmia, quæ vel à magnariis mercato-
ribus pro tali responso in præsenti materia, vel ab opulētis
Principibus accepere. Audent porrò ad episcopatus & præ-
laturas & cardinalatus, ipsum denique ad Papatū quosdā
hac via grassantes olim peruenisse affirmare. Hæc profectò
præmia talia, & tanta sunt, vt velignauos & vecordes, ne
dum vos, qui & cordati & gnaui estis, facile possent ad stu-
dia legum incendere. At verò nostra hæc vnde ortum ve-
stra ista Philosophia, vt diximus, dicit, nec cardinalatum,
nec papatum ausit sectatoribus suis polliceri. Nec si polli-
ceatur, præstare vtique poterit: quę autem potest, prolixè &
abundè pollicetur, & præstat: Sunt autem ista:

*Compositum ius, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.*



ORATIO SIVE IN-

TRODUCTIO V. CL. AC

summi Peripatetici, Kyriaci Stroza. Pa-
tritij Florent. in Aristotelis Ethicōn lib.

VIII. de AMICITIA.



ILLI nauibus centuriæ bellatorum mille, delecti primi virorum Troiam petiere, delati illuc amplæ yrbis illius mœnia obsidione cinxere, annos ferè decē morā illic duxere. Interea loci tot inter duces, tot inter heroas, tot inter gentis nobilissimę proceres, vnicū duntaxat perhibent amicorū par extitisse iuuenis Phthiotici, & viri Opūtij; Menœcio hic, Pelco ille prognatus. Iugum hoc amicorū vnum, Musicæ facultatis architectus eximiè suspexit, hoc luculenter insigniuit; hoc tam lepidis splēdidisque carminibus persequutus est, nihil vt auditu iucundius, nihil lectu amœnius, nihil ad amicitias ritè copulandas & constabiliendas accōmodatius, denique nihil ad Posteritatis memoriam celebrius possit in hoc genere inueniri, aut admirabilius. Cætera furores bellici, præliorum turbines, percusorum clamores, homicidarum increpationes, corporum tum vincētium, tum victorum lacerationes, questus, vulnera, ciulatus, denique luctus, ybique pauor, & plurima mortis imago. Quæ quidem cum trucium sint pabula, pastusque animorum, amicitiæ & humanitati infestorum, at non eorum, qui ad virtutem hanc excolendam humanitatemque ipsam illustrandam atque amplificandam, nati & facti

facti sunt, sicuti vos omnes nati & facti estis. Propterea
vos, Viri Opt. partem hanc de toto illo poëmate, ceu al-
tae isti indoli vestræ maximè conuenientem, deligen-
tes decerpentesque vnam ediscetis, vnam amplectemini,
cætera eis hominibus relinquatis, qui simultatibus exer-
cendis, odiis concipiendis, alendis, explendis, demum qui
cædibus & incendiis faciendis gaudent, inque his vitam,
atque ætatem conterunt. Atheniensium sapientissima ciui-
tas, bonarumque artium omnium & parens & altrix, post
Armodium, atque Aristogitonem ab Hippia cæsos, nullū
amicorum iugū memoratu dignum valeat proferre. Vos
hosce mutuus inter se amor, veræque & sinceræ amicitiæ
obseruantia ad parem mortem obeundam pariter ambos
pertraxit: Vos hos ciuitas illa facundissima extulit quos in
hoc virtutis genere pleno ore laudare, & quibus iure possit
gloriari, præterea nullos: At plebicolas, & assentatores, pu-
blicos delatores, seditionum & discordiarum seminatores
sanè non paucos, vt Cleonas, Alcibiadas, Hyperbolos,
Critias nimirum. Quos n. ciues Reipub. communisque cō-
cordiæ studiosos cernebat importuna illa plebs, quosque
ad priuatas amicitias copulandas conseruandasque ido-
neos, hosce cunctos ferè vinculis, mortibus, carceribus, exi-
lijs afficeret numquam desistebat, vt Miltiadas, Themisto-
cles, Aristidas, Socrates, Phocionas, Demosthenes. Primi
Romanorum mihi fuisse videntur Brutus & Collatinus,
nempe duo hi Rempub. illam primi constituerunt, hos cō-
munis de Tarquinio timor arctè copulârat, deuinxeratque
Ambo tamen exacto Rego, ac posito metu, ceu compage
quadam amicitiæ dissoluta, suorum sensa animorum breui
aperuere; geminæ Africanorum cum Lælio familiaritates
partitis ætatibus celebrantur: Verùm cum legimus, audi-
musve maiorem Africanum bellum Asiaticum amico Læ-
lio iam destinatum extorsisse, familiæque ignominiam de-
precatum Lucio fratri mandandum id curasse, vix addu-
cimur vt credamus amicitiam illam, vlla absque offendio-

IN VIII. ARIST. ETHICORVM

ne ad extremum usque permanisse. De minoribus et si Ci-
cero familiaritatem hanc ad cœlum ferat, acerbæ tamen &
præpropera Æmilianî mors exquisitumque iudicium præ-
uertit. At fratres Gracchi præclari quidem certè publicæ
concordiæ authores extitere, & priuatarum ijdem amici-
tiarum conciliatores eximij; Discordiatum verius dices,
seditionum, simultatum publicè & priuatim seminatores,
& intestinarum cædium architectos, denique incendiorū
omnium faces, quas cum L. Sylla, & C. Triarius à præclaris
hisce cursoribus, ceu ferales quasdam mortis lampadas ac-
cepissent, Cinnæ, Octauio, Carboni, Bruto, Lepido ad re-
liquias Reip. concremandas per manus tradidere. Hasce
eadem faces non multis annis post, & Sacer & gener ea
videntur conditione excepisse, vt amicitiam simulantes
Rempub. primùm cuerterent, inde verò eam dirimentes
omne mortalium genus hominum prorsus extinguerent.
Vixit aliquandiu Augustus cum Agrippa & Mæcenate fa-
miliariter haud immemor eorum laborum quos pro impe-
rio recuperando & Repub. olim ordinanda secum vnâ
ambo exantlauerant. Veruntamen alter cib stupri vxori
suæ à principe oblati suspicionem contubernio principali,
in hortos suos se retraxit. Alter qui vel dormiēti Victorias
ingentes atque incredibiles pepererat, Lesbum usque
sponte exulauit, Augustæ impotentiam pertæsus. Equi-
dem hæc cernens, meoque cum animo interdum reputans,
miseram profectò mortalium hominum conditionem iu-
dico, quippe qui virtutem hanc omnium honestissimam
vno ore omnes confitentes atque *ωτάρκειας*, id est rerum
bonarum omnium thesaurum eandem nūcupantes, cādē
tamen neglecta & posthabita, auri venas venantur, riuos
argento fluentes rimantur, terræ parentis viscera dilace-
rant, montes compilanant, campos effodiunt, specus ex-
cauant maris profunda vrinatoribus perturbant: neque
id adeò, vt amicorum supellestilem parent, sed vt ingen-
tes opes & copias suas in arcas cōgerant condantque, qui-

būs cōgestis, clari honore incedant, ora & oculos omnium
in se conuertant. Quid quod non multis ab hinc annis in-
uenti homines quidam sunt auarititia tam liante, vt ter-
rā hanc quam incolimus, ceu senio fatiscentem, & auro pri-
dem iam effœtam, deseruerint, ad *αἰγαλον*, id est ad alte-
ram illam ex aduersus sitam immensis Oceani spatijs per-
mensis, penetrauerint, nec minore illic, quam hic imma-
nitate furentes, sed maiore etiam, nouas ac superfluentes
opes exquisierint, speque & expectatione ampliores re-
pererint. Atque hi quidem homines etsi Christi Seruato-
ris nomen profiterentur, tamen tam longè à virtutis huius
cultu & fidei obseruantia abfuere, atque hec in tam vili
habuere, vt ad insulas illas & continentes delati potentissi-
mos Reges, opulentissimos Principes, qui eas obtinebant,
fœderum atque amicitiae specie à primo deceperint, inde
omni auro, omni argento, omni gaza, gemmis, margari-
tis, quæ infinita illic olim possederant, eos spoliauerint,
spolios catenis onerauerint, catenis oneratos, & carce-
ribus coërcitos, & vinculis constrictos, ne quid non lege
statuisse viderentur, falsis proditæ fidei criminibus & te-
stibus circumuentos, nec non quæsitissimis tormentis antè
laniatos damnarint, necarintque, sublatis ducibus, misera-
rum in vulgus effrenatè sœuiere, secturis, aurarijs & argen-
tarijs, & vrinationibus, omne illud mortalium genus, vlo
absque ordinis, sexus, facultatis discrimine fatigare, con-
sumere, extinguere, sepulcta majorum nemoribus ob ve-
tustatem, sylvisque non consita, sed coniecta, densissimis
radicum cratibus communita aperire; religionis iura
quibus tuta esse credebantur pedibus subiicientes obtere-
re, quietos gentium illarum per longa secula manes inqui-
etare, scilicet ut opes, grandesque diuitias illuc de more
quondam abditas, & congestas egererent, ad sacra illa
auri famem qua vna ipsi flagrabant atque necabantur, ex
saturandam. At vigiles Diræ & ingens numen illud siue
Adraستea siue Nemesis & Iupiter vltor, eo prædones

IN VIII. ARIST. ETHICORVM

hosce immanissimos adegere, ut sublatis hostibus cū nulli supereffent mortales, in quos sœuirent post hac, ipsi ruptis inter se fœderibus, patriæque charitate exuta & iuris iurandi, quo Regis suo atque adeo Imperatori inuictissimo obstricti tenebantur, immemores, ac ferali rabie inciti instinctique ferrum sua in viscera verterint, tantus eorum sensa & animos furor inuaserat. Atque idcirco euenit ut breuiori sanè temporis interuallo quamquo barbaros illos nuper fregerant, edomuerat, debellauerat mutuis inter se cœdibus atque incœdijs & rapinis grassantes, Cadmeaque, vti dicitur, victoriam vincentes, omnes penè sese iidem confecerint. Iam si quis diluicio ex illo fortè superfuere, igit ergo & ceruici bus, ruptorū fœderū, proditæ fidei, violatæ amicitiæ iustas & meritas poenas persoluere. Hæc ex histoiriarum monumentis tum vetustis, tum recentibus depræpta ad vos, viri opt. propterca afferimus, vt per nos scatis, quanta omnibus seculis, & apud omnis generis mortales semper fuerit virtutis huius penuria & raritas; quanta vitiorum que ex aduersum sita sunt redundantia, & cœbrietas. Nam cum virtus amicitiæ una duntaxat ipsa sit, uitiorū turma vndeque vrgetur, adulatio[n]ibus, dolis, simultatibus litibus, ambitionibus, iurgiis, altercationibus, denique bellis, præliis, seditionibus, occidionibus; ex quo censendum est persapienter omnino fecisse vetustissimum Poëtarum quanquam generatim, ad hoc tamen etiam appositè suam sanè sententiam accommodâsse:

τῶι ἀρύτοι περιότητα καὶ ἵλαδδι ἐστιν ἔλεως

Hæc philosophiæ vniuersæ Antistes, humanitatissime ut sic dixerim Pædagogus sicuti omnia cætera persapienter considerans, atque animaduertens, virtuti huic vni bina volumina in extremo ferè opere hoc reseruauit ut amplitudinem ipsius pari orationis amplitudine exæquaret. Id quod ne iustitiæ quidem ipsi olim tribuerat, quippe quam vnico duntaxat libro incluserat. Atque in priore quidem naturam eius omnem complexus est, & vires &

partes, in posteriore autem viam modumque ostendit, qua via quoque modo eam ipsam conseruare discamus, & si (vti res hominum sunt) necesse fuerit etiam resarcire & labantem firmare. Praeceptionis autem via & ratio huiusmodi quædam est. Primum causas enumerat, quæ causæ sibi fuerint tam longæ tractationis instituendæ. Sunt autem hæc, necessitas in primis atque utilitas, inde amplitudo virtutis ipsius & dignitas, quibus omnibus tantopere ipsam excellere ostendit, ut non dubitanter afferat hoc: Si ritè coleretur ab omnibus amicitia, ociosam & superuacuam proculdubio fore iustitiam. Inde verò nequid non summa cum ratione præcipere videatur Arist. expositis duabus antiquorum de Amicitia opinionibus longè inter se pugnantibus eas statim reiicit, quippe quæ nimium disiunctæ atque à proposita disputatione mirum quantum remotæ esse videantur. His refutatis ad definitionem ritè id est è rei qua de agitur visceribus indagandam stilum vertit. Primæ igitur materiæ incidens hanc geminam reperit, tum illam in qua uti proprio in strato amicitia incubat. hoc autem animorum est iugum saltem vnum, quos ambo debet mutua charitas & benevolentia copulare, si quidem futura vlla amicitia sit: tum alteram dico materiam, quam tractat, & in qua versatur amicitia; est verò materia hæc bonum illud quod in lib. de virtute positum fuit ibidemque tripliciter distributum in volupe, utile, honestum. Bonum enim colorem alium induens hic dicitur amabile, & eandem atque illic retinet diuisionem. honestatis, voluptatis, utilitatis bonum hoc quæsitissimis rationibus, ac subtilissimis argumentis Philosophus exagitans ad cælum usque cælique rectorem nos nostrasque mentes cuehit & quanquam illic ut finis & extremum consideretur, hic tamen matetiæ locum videtur subire neque ob hoc etiam à fine prorsus abhorrere. Hisce è tribus Amabilis formis ingentia amicitarum & familiaritatum examina exeūt, quæ quidem etsi perfectæ omnes non sint, eò tamen mi-

IN VIII. ARIST ETHICORVM


nus habentur vituperabiles, quò proprius amicitiam illam accedunt, quæ honestatis fundamentis insistit quæque utrinque æqua est atque omnibus modis par. Ceterum hisce de singulis, locis propriis accurate agetur & exquisitè. Addit philosophus, de adulatore ut par est, quantū scilicet differatab amico, quóque modo cauendus ipse sit. Adhibet præterea ad amicitiam publicè priuatimque colendā hortationem luculentam, uberrimos qui ex ea fructus percipiuntur splendida oratione enumerans. Docet insuper de Amore sui, quatenus scilicet prouehi nosmetipso amādo debeamus, & alios. Hisce omnibus accurate & copiose & eleganter expositis, & pertractatis Aristoteles modum pulcherrimæ huic virtuti, finemque maximè conuenientem diuinæ eius præceptioni statuit.





ORATIO SIVE IN-

TRODVCTIO V. CL. AC
summi Peripatetici **Kyriaci Stroza**, Patri-
tij Florent. in Aristotelis Ethicōn lib. x.
de **FELICITATE**, quæ sapientia compa-
ratur.



T Simias ad ludendum, & risum excitandum homines comparant, domi alunt, gestibus earum delectantur, in deliciis habent, nimirum namque ore, vultu, membris, animi affectionibus actionibusque nonnullis, multa repräsentant, & referunt animalia hæc, quæ sunt nostræ simulacra Naturæ, eiusdem (vt sic dixerim) imitamenta: Haud igitur falsi arguendus, si quis affirmet naturam monstrum hoc ad eam finē peperisse, vt illuderet in nobis, humanitatemque ipsam suæ admoneret infirmitatis, atque humilitatis. Iam si quis quempiam de illo antiquorum grege Philosophorum roget ecquidnam de natura humana sentiat, respondeat, puto, hospes de Creta Atheniensis, siue Plato ipse sit siue Platonis sodalis, idque adeò dum leges nouis colonis dat, dum humanitatē instituit, dum ciuitatem componit, dum frænos libidini atque audaciæ indit, fidenter, inquam, respondeat, & si non Simias prorsus, præstigias quidem certè & iocularia Deorum, homines esse numerandos. Ergo nos increpare Poëtam sinemus, quod bellicosos Heroas illos Troiæ euersores Muscis quādoque assimilet, volatiliū ferè omniū

DE FELIC. QVÆ SAPIEN. COMPAR!

uiliſſimis, addo & ſpurcissimis maximēque importuniis, per inde quaſi nec Dædali, nec Phaëtontes, & Icari, præpetib' pēnis auſi ſint ſe credere cœlo. Nā quid Oetos memo- rem & Ephialtas, qui excelsis montibus translatis, atque in ſcalæ modum inter ſe aggreditis & diſpoſitis, cælum ſcanſile, vt ait poëta, reddere nitebantur? adde his Salmoncas ful- mina & tonitrua per ſummam dementiam effingentes.

Quos nonnulli è Maioribus multo maiore dementia imi- tari auſi, multoque maiore immanitate, vtriusque pœnas, eaſque æquissimas & ipſi luerunt ſtatim, & nobis Minoribus deinceps luendas reliquère; nempe id tormenti genus excogitârunt atque in uſum euocârunt, quo per ſæuiffi- mas cedes, atque atrocissimas corporis & membrorum la- cerationes, genus noſtrum, (proh ſcelus) totum perderent atque extinguerent. Primi mortalium Phænices, ſicuti fa- ma & literis accepimus, poſt illos Thesſali, ſiue de Ioleo Minyæ Iafonem ſequuti ducem, iter ſummè periculofum à Diis iure negatum hominibus per ſummam audaciam aggressi immensa maria, longinquas terras, ingentes iſſulas nauibus inuadentes vtrique ſubegere: ij tamen illis ſe ſe fi- nibus continuere quoſ fama erat tunc maritimis cursibus Herculem ſtatuiſſe; qua propter illuc delati ſtatim conclamabanr κώπαρ σχόιον, --- remoſinheto, id quod in pro- uerbiuſ etiam apud antiquoſ cefſit, At noſtræ ætatis ho- muli (vt antiquoruſ ſtultitiam atque arrogantiam in di- uinando, deque aſtrorum cursibus quid cuique ferat ſors fidenter prædicendo in preſens omittam) veræ certæque Deorum Simiæ æternos hoſce ambituſ cernenteſ, ac velo- ciſſimos circuituſ, mirabileſque (vt ait Plato) choreaſ, maximēque aſpectabiles, obſeruantes, nequid intenta- tum aut non repræſentatum de Diis iſſis nobis reſtaret, in- tegraſ quidem illaſ, plenēque abſolutaſ re & effectu imi- taſiunt. Et nunc contra orientem ſolem nauibus nitendo aliàs occidentem iſsum ſubsequendo, cò tandem ſunt de- lati, & prouecti, vt globo hoc terrarum mariuムque yni-

IN X. ARIST. ETHICORVM.

uerso obito & perlustrato, terras nullas, nulla maria antiquis dominis, Diis inquam cælorum terrarumque dominis intacta illibatae reliquerint. Geminæ igitur harum imperatrices simiarum, antiquis vti diximus dominis è stabili solo, sed eque penè expulsis, de eius diuisione, non secus ac de paterna hereditate, actione herciscundæ familiæ fratres malè inter se conuenientes, (bello & cædibus litem olim distracturi) interea aut iudicio contendunt, aut arbitria postulant. Quantumlibet ergo exclamant Saryrici hic & Stentora ipsum clamoribus etiam vincant, dicantque;

*Vnus Pelæo iuueni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto carcere mundi.*

Et alter:

*Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, & cælum ipsum petimus stultitia.*

Quid hi faciant atque adeò patientur, si Aquilam è rogo imperatorio emitti conspicentur eam, quæ miseris subiectis ceu testis domesticus Iouisque ipsius ab vnguis minister, quæ inquam miseris atque adeò miserrimis, qui hoc perpeti potuerint mortalibus vniuersis testatū relinquit, monstri omnium teterimi animam ad superos euolasse, immanissimique omnium terrarum mariūmque prædonis & tyrani atrocissimi Manes in siderum numerum successisse? O rem ridiculam! O rem simiolis hisce dignam! Cæterum ne nos in simiis irridendis risu maiore digni ipsi iudicemur, age ad hospitem illum, sanequam benignum reuertamur, eosque fontes aperiamus, quibus è fontibus iucundos latices nectari & ambrosiæ suavitate pares, cum abunde præceptor noster hausisset, nobis minoribus diuina hæc præmia liquit. Is igitur, hospes, inquam, Atheniensis in luculenta illa Epinomide hæc diuino ex ore profatur.

Iam cum tot legum volumina edita nobis sint, tempus

D

DE FELIC. QVÆ SAPIEN. COMPAR.
nunc est rationem illam proponere, quam intuentes fer-
uantésque ciues nostri beati euadant & felices. At veror ne
absurdam audias orationem. Plerique. n̄ corum qui in
hac vita offendunt, eundem usurpant sermonem, dicūt-
que *Neminem* hominē beatum, aut felicem posse euadere.
Attende queso & circumspice, num tibi videar hac de re,
cum eis rectè differere. Nego fas esse mortalibus homini-
bus beatis euadere & felicibus, præterquam sanè paucis, at-
que hoc vnis vitę humanę terminis definio. Præclara ta-
men spes homini vita functo, cuncta ea confore quorum
causa vitam sanequam optimam degere instituerat atque
honestissimam; quæ cum claudenda fuerit, conuenien-
tem sibi exitum debet expectare. Atque hoc dictum ne-
que sapiens, nec eximum, nec reconditum; quin eiusmodi
magis quòd Græci pariter nouimus quodammodo & bar-
bari. Quot enim mala nobis impenſeant, quotque incom-
moda & pericula nostri ortus initia circunſtant, ecquos
tandem fugit? An parum interesse existimas quanam cor-
poris, atque animi habitudine futura sit ea mulier, quæ
fœtum in utero gestat? qua porrò utatur fortuna quæ & si
ad votum cūcta ceciderint, de infante in lucem edito, quid
dices? an tibi oscitans fecisse videtur Poëta hæc?

*Tum poni puer ut saeuis projectus ab undis
Nauita, nudus, humili jacet infans, indigus omni
Vitai auxilio, cum primum in luminis oras
Nisibus ex aluo matris, natura profudit,
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.*

Hæc neque falsa neque ficta sunt, licet à Poëta allata.
Quem enim è nobis latet, quot labores, quot impendia,
quot molestiæ liberoru educationi comitetur & disciplinæ?
At enim verò merces ampla proposita est, dicat aliquis,
& quæ possit tam ingentia incomoda compensare, & ex-
æquare; ecquis quæſo iste & quantus? vix ætate media li-
citum est, positis, ac ſedatis iuuentæ feruoribus, ac libidi-

nū fluctibus, respirare, modicamque quietem capere; quā importuna senectus statim occupans extinguit. *Quis igitur ex omni hominum numero, nisi puerili animo præditus, eiusdem huius vitæ relegendæ, si optio detur, conditionē tam laboriosam accipiat?* Meritò ergo, atque adeò meritissimò Siculus vates:

πάνταν μὲν μὴ φίναν ἐπὶ χθονίοισιν ἀερού
Μήτ' εστι δέ τις ἀνγασ ὁξέος οὐλίς.
Φω̄τε δ' ὅπως ὄκνα πύλας αἰδηο περπάνα
Καὶ καῖσας πολλών γινεται παρηρόμενον.

Et Petrarca:

*Quanti felici son già morti infasce
Quanti miseri in ultima vecchierra?
Alcun dice, beato è chi non nasce.*

Quid ergo nos dimisso faciamus hospite, & vatib⁹. An hisce tam veris, atque adeò seueris sententiis deterriti, ab incœpto studio desistemus; ac si quod eximum præmium à diis immortalibus positum nobis est, id ipsum, blandiente inertia iacere sinemus, posthabitaque naturæ nostræ diuinitate, & excellentia, abiecti ad pastum, in Venerem putres, auaritiæ sordibus ac cæteris turpitudinum maculis, Circeis ceu poculis, & pharmacis, & vitiis ipfis dementati, & deformati, humanitatem ponemus, feritatēm induemus? At hoc nec hominum est, nedium virorum præsertim eorum qui ad decus, & libertatem nati sunt, at, que ad Deum ipsum cognoscendum, amandum, imitandum. Veruntamen cum tali, & tam graui autnori placeatnos Deūm ipsorum esse ludum, ludamus, ne à natura nostra discedamus; ita tamen ludamus, vt lud antecedētes, quos subsequi seria debent, quasi quædam præludia prouocent. Id quod vt rectè, & ordine facere valeam⁹, cum disciplinæ moralis atque adeò ciuilis præludia ha-
etenus præposita, & a nobis sint explicata, agite quæso viri præstantissimi, ad librum hunc de vita & moribus x. in quo seria & ante-laborum fructus certè uberrimi conditi

DE FELIC. QVÆ SAPIEN. COMPAR.

funt duce Arist. aggrediamur. Is enim huiuscè & reliquæ omnis philosophiæ atque hac precipuè tempestate talis præceptor est, & suasor, vt multò æquius, vt verius in eum illa dici possint, quæ noster Lucretius, omniū Physiologorum lepidissimus in Epicurum illum suum carmine iucundissimo fudit fecitque sic :

„ Veridicis igitur purgauit pectora dictis,
 „ Et finem statuit cupidinis, atque timoris,
 „ Exposuitque bonum summum quò tendimus omnes,
 „ Quid foret, atque viam monstrauit tramite paruo
 „ Quà possumus ad id recte contendere cursu.

Vt ergo ad id quod initio fuerat nobis propositum, veniamus, sciendum est Aristotelem libro hoc x. vniuersam morum institutionem vitæque beatæ rationem illam quæ ab hominibus singularibus ineunda est & tenenda, à capite, vti dicitur, arcessere, atque in orbem reflextendo conuenienter absoluere; in extrema verò pagina hanc ipsam cum Reip. téperatione, reique domesticæ tutione ita coniungere coagmentaréque, vt ciuilis huius philosophiæ quæ, à parte meliori nuncupatur, vnum idemque integrum, plenéque absolutum corpus octo & decem, tot n. in manus nostras peruenère libris efficiat & concludat. Habetis ergo propositi libri scopum, vt dicitur, & finem, cuius ergo institutio hæc omnis suscepta ab Arist. est & absoluta. Nunc de partibus & tractandi modo agendū est & breuiter. Acturus ergo Arist. de summo atque extremo bono, cuius aptè rationem exposuit, vt aditum facilem huic doctrinæ munitet ad hoc felicitatis vocabulum, vocabulique notionem genus ipsum summi atque extremi boni, omnium hominum consensu & confessione primo libro rededit: atque exdefinitione felicitatis, & terminis, quibus virtutis, fortunæ, animi perfectionis, aliorum de nique omnium quæ felicitatem aut recipiunt aut circunsistunt, inclusa peruestigatio fuerat, agnitis, & assignatis totam humanitatem singulariter constituit, ea constituta,

ad diuinitatem quę in nobis est, agnoscendam atque adipiscendam se confert. Ad quam cognoscendam & perfecte adipiscendam vt nos ritè institueret, in vi. egit de habitu & perfectione illius animi partis, quę nativa vtitur ratione & sua. ostenditque duo esse mentis & ingenij nostri apices prudentiam quæ recta est agendi ratio, & sapientiam, quæ intelligendi. Agit ergo h̄ic philos. de Felicitate ea, quæ sapientia comparatur, cum in primo egerit de ea, quæ prudentiæ officiis nobis conciliatur: Et quoniam vtraque suā sibi vendicat, & propriam voluptatem, propterea Philos. sicut in septimo conuenientem felicitati ciuili voluptatem assignauerat, ita & in hoc antequam de ipsa agat præponit exquisitissimā de voluptate vera sinceraque tractationem. Hoc ergo primum nos docebit Philosophus quid sit voluptas, vnde oriatur, vbi consistat, quomodo sapienti concilietur & beato, quandiu valeat durare, num partitè generetur & intercissè, an vniuersè & statim, aut omnino non generetur, an dolor omnis ei aduersetur. Hac absolute, ad veræ diuinæque felicitatis naturam & proprietates singulas declarandas aggreditur, ac mirabiliter eius naturam explicans, mirabilius nos ad eam capessendam hortatur nempe à mortalium, non opum modò & deliciarum sed & regnum cupiditate & potestatū & imperiorum auocando & paulominus de terrendo, atque ad cælestium & diuinorum desideria eosdem nos inquam aduocando & erigendo, inuitandoque, nihil humano generi experibilius, nihil suauius, nihil magnificentius esse affirmans quām purè, sobriè, castè & frugaliter viuere, ac sapientiæ munera exercere. Ex hac enim viuendi ratione nō quies solum & pax & animi tranquillitas in vita hac nobis certa proponitur, sed mirifica etiam Deorum immortalium benevolentia erga nos & charitas atque ob vitæ similitudinem perpetua cū eisdem ipsis coniunctio. Additque si Dij imm. bonitate & sapientia præstant, (vt certè præstant) credibile atque adeò necesse homines eos ipsis esse

IN X. ARIST. ETHICORVM

charissimos gratissimósque : qui vitam suam consimilibus studiis atque ornamentiis instrúxerint & confirmauerint. Post hæc Arist. vt modum instituta tractatio conuenientem habeat, quia s̄epe admonuerat nos hanc disciplinam nequaquam debere in verbis consistere, ipsiſve in animis nostris inertem iacere, ad agendum hortatur nos, recteque intelligendum, idque cōvehementius, quò & publicè & priuatim iuuentutis, quod est seminarium Reipub. ratio instituendæ ab hominibus ferè negligitur. Addit præterea Philosophi in parte hac, partes esse animum non despondere; quin ea precepta sedulò & diligenter tradere quæ primum homines bonos (boni autem vt idem ostendit natura, consuetudine, recta ratione fiunt) inde verò suę Republicæ utiles reddant & salutares, atque ad extremū eiusmodi efficiant, qui legibus, vel si nullæ sint, de integro ferendis, vel si extinguantur denuo reparandis, ne dum seruandis, & exercendis, sint idonei & oportuni. Erit ergo, vt videtis, moralis huius institutionis extrema consumatio, Reipub. legumque constitucndarum prima incœptio.





EX SCHOLIIS FRANCISCI
ALVARII, LVSITANI, MAGNI ET
Medici & Philosophi, hodieque Tolosa
publicè docentis, in textum CL. V. Ky-
riaci Stroze, ad Arist. ix. Metaphys.

IS qui verba Græca non inspexerint, hic tex-
tus difficilis videbitur, ac si priorum verborū
sensus sit, earum actionum quarum est ter-
minus nullum finem esse, in quo aperta inest
contradictio, verūm in Græco textu voca-
bulum ἔδειξις, coniungi nequit alteri verbo quām
ἔργον, cum sit femininum, vt sit sensus, Earum a-
ctionum quarum est terminus nullam finem esse. Vult au-
tem Arist. (vt in sua annotatione insignis author Stroza
explicuit) inter actiones, quasdam ita esse actiones, vt sint
etiam finis, seu finem implicitum habeant, quæ vno
temporis articulo vel vno actu momento ve-
ri consueverunt, vt videre, vidisse; intelligere, in-
tellexisse; has Arist. operationes, energeias, functiones,
& naturæ constantis perfectas actiones vocat & in quibus
fieri & factum esse, idem sunt, quod rebus diuinis maximè
proprium est; Alias vero actiones, quæ terminum quidem
habent, seu ad terminum vergunt, finistamen non sunt, vt
extenuatio, quæ est motus ad tenuem habitum, edificatio
ad edificiū, progressio ad locum, has autē non vocat ener-
geias, seu naturæ constantis operationes; sed imperfectas
quasdā actiones & in quibus fieri & factū esse, diuersa sunt.



VITA KYRIACI STROZÆ.

KYRIACVS Stroza, Patritius Florentinus, patre Zacharia Stroza, matre maria, ex eadcm illustri Strozarum familia natus est, anno salutis mille-simo quingentesimo quarto, die vigesima secunda mensis Aprilis, in pago paterni hæredij apud opidum cui nomen Capallé in parœcia Diui Kyriaci, ad secundum lapidem ab inclyta vrbe Florentia in Hetruscis. Statura fuit iusta, corpore macilento, frönte lata, naso subaquilino, nigris oculis, labris subtilibus, ore ad taciturnitatēm composito, barba promissa, nigra & canis interspersa, cum senesceret, parcus illi sermo, sed grauis & sententiosus. Primis etatis sue temporibus, maximam orbis partem, semper inhérens studiis, peragravit. Vxorēm numquam duxit, quòd existimaret curam rei vxorię non posse cohærere cum vita eius, qui seriam philosophandi rationem inire decreuerit; filios tamen naturales iuuenes amisit. Fratres sororésque plures habuit omnes artium liberalium amatores, quorum plerique immatura ætate decesserunt pr̄ter Frāciscum V.I.D. qui cum olim Fulginatibus antiquæ ciuitatis Italicę populo bis summa cum laude pr̄fuisset, cæteris omnibus ad ultimam senectutem bene beatèque superuixit. Fuit huius viri summa vitæ integritas, eadēmque multum ab omni ambitu & contentione honorum remota, ingenium libera-le, dubium an acre magis, liberi sensus & perhumani; s̄epe voces efferebat quæ videri poterant antiquę veneratiōnis; pr̄ter hęc insignis architectus & multus in re hōtensi,

tenſi, ſedulus ſcrutator cultorque ſicutum de rarioſe no-
ta, quos etiam miſlitabat Coſmo, magno Hetiuriæ Duc, qui ob id dictitare ſolitus erat, à ceteris ſe Pisanæ Academijæ doctoribus importunè ambiri, vt gratia & autoritate iuuaret eorum neceſſarios, à Stroza autem (cui inter ipſos doctrinæ primas ſuffragio ſuo deferebat) ſemper aliquo elegantiore fructu donari, ne dum vr improbè quicquam ab ipſo flagitaret. Legit & diſputauit in Academia Flo-
rentina, vt illic moſ viget, poſte à lingua Græcam & Phi-
losophiam magna cum laude in eādem vrbe docuit: deinde profeſſus eſt per annos circiter octo Bononiæ, poſtre-
mò accitu principis fui Coſini, Magni Hetruriæ ducis, Pi-
ſas vénit, vbi per annos viginti & amplius honestis condi-
tionibus egit, ſemel enim duntaxat in hebdomade ſuggeſ-
ſum conſcendebat. Feriarum tempore ad paterna rura
reuertebatur, Florentiamque ſe recipiebat, vbi amicos, pa-
rentes, viros etiam à doctrina inſignes inuiſebat, atque a-
deò ipſum Principem, à quo tanti fiebat, vt ſermonibus ul-
tro citrōque habitis, quatuor, quinque, aut amplius horas
cum ipſo in interiori loco conſumeret. Ex eius disciplina
magnus prouentus ingeniorum prodiit, quo in numero
ſunt Cardinalis Colūna, Cardinalis Vrſinus, Epifcopus ex
primaria Piſarum nobilitate Gualandy de Ceſena, Car-
dinalis Alciatus, & innumeris alijs, Ludouicus Antinorus,
Epifcopus Pistorij, & Nuntius Pij quarti Pontificis ad Cæ-
ſarem, Pyrrhus Stroza conſanguineus, qui præmatura
morte ex humanis excessit, Petrus Oricellarius, ſanguine
& amicitia ei coniunctus, qui etiamnum inter primarios Flo-
rentiæ viros litterarum laude cenſetur. Ad hæc omnis ge-
neris disciplinæ peritissimus, in primis Philosophiam Peri-
pateticam excoluit, in qua omnibus ſuī temporis philoſo-
phis præcellēs, Nonum & Decimū, Arist. de Repub. libris.
Gtæco idiomate adiecit quibus ita mentem, diſtione, ac
ſtilum ipſius expressit, vt vix utrumque quis diſcernere
poſſit; Eoſdem poſte à latinè ipſe interpretatus eſt, quos

V I T A K Y R I A C I

præ manibus in corpore Arist. habemus. Multa insuper de omni genere philosophiæ conscripsit volumina, vt idem in epistola ad Petrum Oricellarium testatur. in qua duos dę prima illa, quæ cæterarum philosophiarum domina est & regina philosophia, locos edidit, librisque suis Politicis à se latinę factis adiunxit: est autem prior locus atque adeò caput in libro nono ad Arabum commentariorum normam, inter textum vndecimum & duodecimum locandum: quod quidem caput, non latini modò omnes interpretes omisere, sed quod longè mirabilius, ipse siue Alexander, siue Michaël omisit; Alter præterea in textu xxxvi. ad duodecimum eiusdem Philosophiæ, in quo mirabiles ruinas Interpretes omnes fecerant, textum ipsum verborum castigatum & expurgatum restituit latinumque fecit, & vtrumque doctissimè elucidauit. Stromata item Clementis Alexandrini, adolescens cum esset primus omnium latinitate donauit, vt inter alios authore est locuples Gesnerus in sua Bibliotheca; Extant quoque quatuor illius siue Orationes siue Introductiones in quatuor Ethicorum Arist. libros, quarum prima est in caput decimum libri tertij de Temperantia & eius extremis; secunda in quintum librum de Iustitia & Iure; tertia in octauum de Amicitia; postrema in decimum de Fælicitate, quæ sapientia comparatur: Et hæ dūtaxat quatuor in manus hominum peruererunt, ex quorum elegantia & prudentissimo dicendi genere appareat quanta labes litterariæ rei facta sit in his quę desiderantur. Pluribus eius monumentis Posteritas frueretur, nisi cum in extremis esset, furto pessimo illi periisset cista, cui præcipuos ingenij fœtus commiserat, quos iam affectos publicare in animo habebat, vt ipse confirmat in ea quam commemorauimus epistola ad Petrum Oricellarium. Obiit, vt pium decuit, millesimo, quingentesimo, sexagesimo quinto Pisces, morbo calculi, sexto die Decembris, vnde liquet cum vixisse annos circiter sexaginta tres, totidem, quot Aristotelem prædicant; Corpus transla-

tum fuit ad ædem eiusdem Diui Kyriaci, ut mandarat. Si quem ingenuus amor tenet plura de hoc viro cognoscendi, consulat Petrum Bembum in Epistolis, Benedictum Varchiū in multis eius opusculis, Piccolominium & Claudio Tholomcium Senēsem vtrumque, Antonium Bargam, Annibalem Carū equitem, Annonium Palearium, Iacobum Sadoletum, Paulum Minium in Apologia Florentina, Flaminium Nobilium in commentariis ad librum Aristotelis primū de ortu & interitu, Petrum Fonsecam in Metaphysica Arist. libro nono ac duodecimo, Petrum Victorium, Theodorum Zulingerum, in prolegomenis ad Politica Arist. Petrum Poëssoneum, Andegauensem, Regis Gallię Consiliarium, qui fecit Partitiones philosophiae ciuilis ad imitationem Arist. aut potius ipsius Kyriaci Strozæ in libris eius Politicis nono & decimo, complures alios, qui eius ætate & postea floruerent clari in omni doctrina viri.

C A R M E N

Pauli Rosciij Florentini, Diui Ioannis Equitis clariss. in laudem Kyriaci Strozæ, quod rerum ciuilium inchoatos ab Aristotele libros ipse primus & solus feliciter absoluerit.

Σε τρῶς ἐγώ σοφῷ τέλεσα μόγιατά
Τῇ πείρ Σαμίω φημὶ τῇ Πυθαγόρεω.
Τις γαρ τάσυ Πολιτικ' αἰαλεξάμνος
Βιβλία, ἔχειν θυμὸν ἀριστοτέλος
Μὴ ση ἐνι φυχῇ μετοχίᾳ πάλαι
Τάτα τε τὸν λόγων σε κύ διαμαντεύει.

I D E M L A T I N E,
A D V E R B V M.

Te dico, Stroza, compleuisse dogmata,
Quæ doctus olim protulit Samius senex:
Quis nanque libros Politicōn tuos legens,
In te migrasse mentem eius negauerit,
Tu verba cūius atque vires exprimis?

I N E V N D E M.

Inuidamors Strozam rapuit cum stulta putaret
Extinxisse pium prorsus Aristotelem:
Verū aliter resest, per eum nam Stroza resurgit,
Per Strozam rursus viuit Aristoteles.





ZACHARIÆ MONTIO, FLORENTINO.

DE ostenso fœtu bino tui longè clarissimi Auūculi, Kyriaci Strozæ, valdè gaudeo, agóque gratias. Aristotelea probat nemo, qui statim non laudet, imò qui dari sibi continuò in manus non aueat, quæ Aristotelis æmulus, verius dicam, par, & Peripateticorum parens alter, Kyriacus Stroza, duobus Politicis libris mandauit Grècè & Latinè, adsuendis octonis Aristoteleis. Nempe summus ille Stagirites, siue mors seu & inuicta noluit, siue eius consilium & conatum aliquid aliò auertit, Politica imperfecta & interminata posteris reliquit, aut perficienda absoluendaque reliquit τῷ αὐτῷ πολιτικωτάτῳ Strozè. Venerem inchoatam & inimitabilem Apelles dedit, qui eam perficeret, inuentus postea nemo. Apelleam manum & penicillum longo superant interuallo Aristotelis τὰ πολιτικὰ, & tamen exstitit unus Stroza, qui supplementum totius doctrinæ ciuilis, libris tantùm octo comprehensæ ab Aristotele, in alteros duos, Nonū & Decimū, includeret, totamque τὰ πολιτικὰ completeret atque consummaret. Si verò abhinc aliquot annos in Francia iacuerunt ipsæ Florentissimi hominis binæ τὰ πολιτεῖαι Cōmentationes vtraque lingua, istud bellis intestinis ac ciuibus Franciæ adscribatur: neque sanè iis tantum bellis, quæ cum nouæ religionis armata manu gesta sunt, sed etiam iis, quæ toto decēnio proximo, funesta nescio quorum consociatorum hominum Erinnys excitauit. Tū nemo attigit Politica, quia nemo non τὰ πολιτικὰ cunctaque adeò Regni administrationem vidit aut inuersam, aut

ZACHARIÆ MONTIO FLORENT.

pænè euersam. Nisi si fortè commemoretur mihi, obseruantissimus, ac studiosissimus Regum nostrorum Majestatis, Petrus Poëssonius, Andegauus, qui Senatu Franciæ primo, Turoni considente, dum Lutetiæ esse illi non licebat per concitatam & ab omni Regia Majestate abhorrentem multitudinem, librum emisit in lucem, de Regis in Francia Majestate. At ne istū quidem librū Poëssonius cōmodè belléque editurū sc̄ putauit, nisi è Politicis Strozanis præclarissima quæque, & maximè commemorabilia hauriret. legatur liber, iam enim omnium teritur manibus. Quod si factum hoc, dum minimè fieri posse putaremus; sique sœuiēte adhuc Marte inter ciues, Kyriac⁹ Stroza, ceu Pythi⁹ Apollo, cōsultus est ab eo, qui de Regia Majestate edere oracula statuebat; nūc Bellona ipsa arctis cōstricta vincis, clausoque Iano, qui nobis nimiū diu reclusus fuit, quid speramus euenturum? Non modò Pax rediit, sed cū Pace, artes omnes liberales futurum est ut reuiuiscant. Denique verè intelligetur, vates non ero vanus, aut Aristotelem ipsum nihil de Politica scripsisse octo libris, aut Kyriacum Strozam eius exstitisse velut ~~Θεοφάδη~~, adnatis & succrescentibus ab radice & iusto germine Aristoteleo, binis Strozeis surculis. Vale, mi Monti, tu mihi Hybla aut Hymetto dulcior. Kal. Nouemb. D. M. II C.

Hæc Epistola excerpta est ex primo libro Epistarum V. C. 10. Roenni, Rotomagensis.

